

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...

**Chladni, Martin
Schroeder, Johann
Vitembergae, 1719**

VD18 11653507

V. VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

§. VI. Audiamus igitur Orthodoxum, & in hac quoque cathedra bene meritum de ecclesia nostra Theologum PHIL. LVD. HANNEKENIVM affirmantem & sententiæ Marefianæ adversum: In *Observationibus enim fidelibus*, mox hanc animadversionem subjungit: *Subiectum Poenitentia non vult esse infantes Marefius: Respondemus autem, veram fidem in omni subiecto præviã habere similem cordis contritionem, quæ cum infantibus asseratur Matt. XVIII, 6. Marc. XI, 42. Luc. XIX, 17. Certe etiam poenitentia illis est asserenda, præsertim cum inibi adutorum via salutis exigatur ad methodum salutis infantum Matth. XVIII, 3. Ubi expresse æqualitas conversionis, quæ est in infantibus, requiritur in adultis. Et si in infantibus est gratia regenerationis efficax, quid efficere aliud potest, quam quod efficit in adultis? Salutarem scilicet poenitentiam, Et si per diversitatem capacitatis infantilis & adultæ actus illius gratiæ variant, ut supra vidimus. Loca igitur allegata non negant infantibus poenitentiam salutarem, sed exercitium rationis adultæ reflexum, & Infantes ipsi loco Joel. II, 16. in classem poenitentium referuntur, etiam si respicientia potior conditio ad Parentes pertinuerit, quorum erat a peccatis, qualibus Infantes obnoxii non erant, imposterum serio abstinere. Ita Theologus hic gravissimus non sine grano falis mentem suam exponit, & sententiam Marefii dejicit.*

§. VII. Addemus alium, meritis & doctrina non impari ecclesiæ nostræ Promachum, JO. CONR. DANNHAEVRUM. Hic vero in *Hodosophia sua, Phenom. XI. p. 1269.* hac ratione judicat: *Infantes a poenitentia frustra excluduntur, in quos aversio a peccato & fides cadit, quamvis non cum ea mentis reflexione, quæ est in adultis. Joel, II, 16. Exerat sententia Augustini L. 1. de peccati merito c. 19. Dicet aliquis, quomodo infantes vocantur ad poenitentiam? nunquid tantillus potest aliquid poenitere? huic respondendum, si propterea*